Chemnitius

Duello E. 3. L. 1. 2

BIBLIOTECA DUELLO GIORGIO ENRICO LEVI
D
VIII
819

2

Digitized by Google



Digitized by Google

Q. D. B. V.

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO

FRIDERICO AVGVSTO

PRINCIPE REGIO ET ELECTORATVS SAX.

HEREDE RELIQVA

DE

DVELLORVM ORIGINE ET PROGRESSV

BIBLIOTECA NAZ. ROMANA VITTORIO EMAN.

PRAESIDE

IO. GVILIELMO IANO

HIST. P. P.

D. XII MAII A. C. MDCCXVII.

PVBLICE DISPVTABIT

AVCTOR

M. CHRISTIANVS. GODOFR. CHEMNITIVS

TREB. SAXO

VITTEMBERGAE, PRELO CREVSIGIANO

Digitized by Google

Digitized by Google

PRAEFATIO.

PRodiit non ita pridem Lutetiae Pariſiorum libellus ἀδέσποτος de ſtultitia duellorum, Gallico ſermone ſcriptus, cuius auctor pro certo exploratoque confirmat, tantum abeſſe, ut grauiſſimis poenis, a Ludouico XIV. in monomachos conſtitutis, pernicioſa haec digladiandi conſuetudo funditus extincta ſit, ut etiamnum in Gallia quadringenti amplius quotannis per illam pereant. Vnde malo tam inueterato non minus ratione et conſilio, quam ui et ſuppliciis obuiam eundum putat, et ex omni legum ſeueritate occultationem citius, quam abrogationem eius ominatur, niſi uana illa honoris, neſcio cuius, et exiſtimationis; tali modo uel tuendae, uel amplificandae perſuaſio, animis hominum eximatur. Atque id ipſum commentatione ſua efficere ſtudet, et reipublicae interfuturum cenſet, ſi intempeſtiua haec magnitudinis animi oſtentatio, rationi aeque ac legibus aduerſa, qua tot nobiliſſimi uiri, leui ſaepe de cauſa, uitae fortunarumque diſcrimen adeunt, a mimis in ſcenam deridenda et exagitanda produceretur. Vtitur uero non tantum argumentis a natura, uanitate et effectibus monomachiae petitis, ſed etiam ad exempla illuſtriorum gentium, nominatim Hebraeorum, Graecorum et Romanorum, prouocat, apud quas, extra bellum, in bene conſtituta republica, contra quaſcunque iniurias legum praeſidio ſe tueri, et iudicio cum aduerſariis contendere nemini non honeſtum, artem uero et uindictam gladiatoriam exercere, humile et probroſum fuerit. Denique eo redit, ut duella, noſtra et maiorum memoria tantopere frequentata, reliquias eſſe dicat Ordaliorum, ſiue prouocationum ad iudicium Dei, quas olim barbaries inuexit, ſuperſtitio aluit, et corrupti hominum mores penitus interire non permiſerunt. Haec adeo ſententia occaſionem nobis praebuit in originem et progreſſum duellorum paulo diligentius inquirendi. Deus inſtitutum fortunet!

 I. Pro

I.

Ordaliorum nomen, PRouocationes ad iudicium Dei Latinis medii aeui ſcriptoribus modo purgationes, modo probationes, modo iudicia diuina, et iudicia uulgaria, propria uero Germanorum lingua, Ordela, Ordalia, et Vrtella dicta ſunt. Lege Thaſſil. A. DCCLXXII. in ſynodo Dingoluingenſi lata, edicitur, *ut hi, qui ducali manu liberi dimiſſi ſunt, ad eadem cogantur iudicia, quae Baioarii Vrtella dicunt*, apud Velſerum Rer. Boic. L. V. p. 164. Vox illa compoſita eſt ex antiquo Saxonum uocabulo *Or*, magnus, et *Dele*, ſiue *Dael*, iudicium. Inde haud dubie uernaculum noſtrum *Vrthel* originem ducit. Leg. Caroli du Freſne Gloſſar. Med. et Infim. Latin. in uoc. Ordela et Iudicium.

II.

Deſcriptio, Erat haec prouocatio, modus quidam probandi innocentiam, obiectumque crimen diluendi per miraculum, aut ſingularem certe Dei prouidentiam et moderationem, qua ueritatem occultam manifeſtare, et iniuſte opprimendo opem ferre credebatur. *Putabant* enim, *rerum latentium dubia et occulta poſſe patefieri, et per res contrarias ueritati* (puta Ordalia) *ueritatem latentem monſtrari*, ut loquitur Agobardus Epiſcopus Lugdunenſis in libro aduerſus legem Gundobaldi, quo perſuaſionem illam aetate ſua inualeſcentem ex inſtituto coarguit.

III.

Varia genera Speciatim ac praecipue *Ordaliorum* nomine comprehendebantur tactus ferri candentis, aut carbonum ardentium, immerſio manus in aquam feruentem, et deſcenſus in aquam frigidam. Qui enim aquae huius fundum petebant, aut ignis calore non laedebantur, Dei ipſius ſententia abſoluti iudicabantur, ſecus ac ii, qui uel aquae frigidae ſupernatabant, uel ferro, prunis, aut aqua calida adurebantur. Quibus ritibus et ceremoniis haec iudicia excercita fuerint, optime docent formulae exorciſmorum (deuotionum) in iis adhibitae, a Friderico Lindenbrogio in Cod. Legg. Antiq. p. 1299. et auctius ac diligentius a Stephano Baluzio Tom. II. Capitular. Francor. p. 639. ſeqq. editae. Plura genera horum iudiciorum

cum

Digitized by Google

rum, pariter ac ſingulorum exempla recenſent Henr. Bangertus in notis ad Helm. Chron. p.189. Paulus Hachenbergius, in Germ. med. Diſſert. III. §.19.p.84. ſeqq. et Chriſt. Ebelingius, ſingulari libro de prouocat. ad iudic. Dei, non ita pridem Lemgouiae edito, qui quidem non ſatis circumſpecte fabuloſa ubique a ueris diſtinxit, et ficta quaedam miracula nimia credulitate admiſit. Eo inprimis ſpectat fabula de Ottonis III. coniuge, cap. IV. §. 3. memorata, quam inter *uera et miraculoſa facta* referre non dubitat, licet illam, ut ſolius Godofredi Viterbienſis fide admodum ſuſpecta nixam, Ditmaro autem Merſeburgenſi, Lamberto Schafnaburgenſi, Hermanno Contracto, Sigeberto Gemblacenſi, Conrado Vrſpergenſi, et omnibus idoneis rerum Germanicarum eius temporis ſcriptoribus ignoratam, doctiſſimi quique pridem exploſerint.

IV.

Origo et progreſſus,

Originem huius moris non intra fines imperii Romani quaerendam, neque ab inſtitutis Chriſtianorum deducendam, ſed a gentibus barbaris, iura Romana aeque ac ſacra Chriſtianorum aſpernantibus, repetendam eſſe, iam pridem harum rerum periti obſeruarunt. Cum enim ſeculo XIII. Mich. Comnenus, Imperatori Ioanni III. Ducae rerum nouarum ſuſpectus, innocentiam ſuam ferri candentis tactu probare iuberetur, more forſan a Latinis in orientem illato, et tum demum ſe id facturum diceret, ſi Phocas, Metropolita Philadelphienſis, hanc ſententiam ei denuncians, exemplo ſibi praeiret, et ferrum candens de manu in manum traderet, Metropolita his uerbis reſpondet: ὦ καλὲ νεανία, τȣ̃το ȣ̓κ ἔςι τῆς ἡμετέρας καὶ ῥωμαϊκῆς καταςάσεως, ἀλλ᾽ ȣ̓́τε τῆς ἐκκλησιαςικῆς παραδόσεως, ȣ̓́τε μὲν ἐκ τῶν νόμων, ȣ̓́τε δὴ πρότερον ἐκ τῶν ἱερῶν καὶ θείων κανόνων παρείληπται. βαρβαρικὸς δὲ ὁ τρόπος καὶ ἀγνὼς ἐν ἡμῖν, προσταγῇ δὲ μόνον ἐνεργεῖται βασιλικῇ. *O bone iuuenis, hoc neque noſtri, neque Romani inſtituti, neque eccleſiaſticae traditionis, imo neque ex legibus, neque e ſacris ac diuinis canonibus deſumtum eſt: Sed barbaricus eſt iſte mos, nobiſque minime notus, qui iuſſu tantum imperatoris exercetur.* Inter barbaras illas, quas Medropolita innuit, gentes, praecipue ueteres Germanos, nondum ſacris et moribus

Digitized by Google

bus Chriſtianorum aſuetos, talia iudicia exercuiſſe, cum aliis indiciis, tum praecipue legis Salicae teſtimonio conſtat, quae illa non primum inſtituit, ſed ut iam ante uſitata commendat tit. LV. Leg. Hieron. Bignonii notae ad hunc locum p. 850. Poſtea etiam Chriſtiani Francorum reges, imperio potiti, inſtitutum a maioribus traditum retinuerunt, et legibus ſuis confirmarunt: nominatim Carolus M. Capitulari IV. ad A. 803. cap. III. et VI. et Ludouicus Pius, qui ad euitanda periuria, meliori animo, quam conſilio, promulgauit *ordinationem de benedictione uel exorciſmo aquae calidae ſeu frigidae, in qua manus ad iudicium mittitur*, quae extat ap. Goldaſtum Tom. III. Conſtit. Imperial. p. 254. et 255. ubi additur: *hoc iudicium, petente Domino Ludouico Imperatore, conſtituit B. Eugenius, praecipiens, ut omnes Epiſcopi, Comites, Abbates, omniſque populus chriſtianus, qui infra eius imperium eſt, hoc iudicio defendant innocentes, ne periuri ſuper reliquias ſanctorum perdant animas ſuas in malum conſentientes.* Taceo alia exempla in hiſtoria Germanica a ſec. V. uſque ad ſeculum XIII. frequentiſſima, pariter ac leges Longobardorum, Burgundionum, Gothorum, Boiorum, Alemannorum, Friſionum, Angliorum, Saxonum, ab aliis pridem indicatas, quae iudicia haec, ut Germanarum gentium fere propria, ita non minus communia fuiſſe, oſtendunt.

V.

Abrogatio. Ac tametſi Sec. XIII. praeter ceteros Fridericus II. Imperator Auguſtus, pro ea, qua erat, ſagacitate et prudentia, pudendam hanc ſuperſtitionem abrogatam uoluit, Conſtit. Sicular. lib. II. tit. XXXI. *eorum ſenſum non tam corrigendum, quam ridendum ducens, qui naturalem candentis ferri calorem tepeſcere, imo, quod eſt ſtultius, frigeſcere, nulla iuſta cauſa ſuperueniente, confidunt*: tam alte tamen illa multorum animis inſederat, ut uix ſeculo XIV. penitus euelli poſſet. Apud Morauos certe, innocentiam per ignem probandi ritum, uſque ad Caroli IV. tempora remanſiſſe, demonſtrat Io. Georg. Stredovvſki in Sacra Morauiae Hiſtor. lib. I. cap. V.

VI.

Duella ge- Horum igitur iudiciorum, quae uocabantur, diuinorum genus

Digitized by Google

genus quoddam fuiſſe duella, atque adeo eundem fere ortum et progreſſum habuiſſe, uel ex eo manifeſtum eſt, quod ſaepe cum aliis eiuſmodi innocentiam probandi modis coniuncta, imo et permutata reperiuntur. Ita ſpeculum Saxonicum lib. I. art. III. ſtatuit: *Die ihr Recht mit Dieberey oder Raub verlohren haben, oder man ſie Dieberey oder Rauberey anderweit beſchuldiget, die mögen mit ihren Eyde nicht unſchuldig werden, ſondern ſie ſollen haben dreifache wahl, das heiſſe Eyſen zutragen, oder auch in einen wallenden Keſſel zugreiffen bis an den Ellenbogen, oder mit Kampf ſich zuerwehren*: et lex Angliorum tit. XIV *ſi (mulier) campionem non habuerit, ipſa ad nouem uemeres ignitos examnanda mittatur.* Hinc Guntheramnus Boſo, Childeberti regis Francorum ad Guntheramnum regem Burgund. legatus, ab iſto perfidiae accuſatus, his uerbis reſpondet: *Inſontem me de hac cauſa profiteor. At ſi aliquis eſt ſimilis mihi, qui hoc crimen impingat, ueniat nunc et loquatur. Tu, o Rex piiſſime, pones hoc in Dei iudicio, ut ille diſcernat, cum nos in unius campi planitie uiderit*, ap. Gregor. Turonenſ. Hiſtor. Francor. lib. VII. cap. 14. Quid, quod diſerte ius prouinciale Sueuicum cap. 167. conſtituit: *Davon mus man das Gericht an Gott laſſen, davon iſt Kampff geſetzt, denn was die Leute nicht ſehend, das weiß doch Gott der allmächtige wohl, davon ſollen wir Gott getrauen, daß er den Kampff nun nach Recht ſcheide*, et per legem, hoc iure antiquiorem, Longob. L. I. Tit. XVI. cap. 2. *Si quis puellam aut mulierem liberam, quae in alterius mundio eſſet, fornicariam aut ſtrigam clamaſſet, et perſeueraret ac diceret, ſe probare poſſe, cauſſa per campionem, id eſt, PER PVGNAM AD IVDICIVM DEI, decernebatur.*

mus iudiciorum diuinorum,

VII.

Certamina ſingularia inter multas etiam politas gentes aliquando inita fuiſſe, nemo facile negauerit. Etenim exempla illorum extant cum inter ueteres Graecos et Romanos, tum inter ipſos Hebraeos: cum uidelicet belli diſcrimen aut pauci quidam pro multis ſubirent, aut ſinguli ſibi ſolis depoſcerent. Huc ſpectant certamina Dauidis cum Goliathe, Menelai cum Paride, Aeneae cum Diomede, Hectoris cum Aiace, aliorumque heroum ac ducum

ab aliis certaminum ſingularium generibus diſtinguenda

Ho-

Homericorum, Horatiorum item cum Curiatiis, Titi Manlii ac M. Valerii Coruini cum hoſte Gallo, et ſimilia plura. Eodem pertinent duella regum inter ſe belligerantium, quorum exempla collegit Alciatus Lib. de Sing. Certam. cap. III. Quin et in pace, praeſertim apud Romanos, ſinguli gladiatores cum ſingulis committebantur, ſervi fere aut facinoroſi, quorum mutuas caedes, modo in theatris, aut funeribus indictiuis populus, modo inter epulas conuiuae, animi cauſa, ſpectabant. De his Nicol. Damaſcenus ap. Athenaeum lib. IV. cap. XIII. *gladiatoria*, inquit, *ſpectacula non ſolum publicis ludis et theatris, populique frequentia et celebritate edunt Romani, more a Thuſcis inuecto, ſed etiam inter epulas. Itaque nonnullos ex amicis et neceſſariis et aliis de cauſis ad coenam inuitant, et hac potiſſimum, ut gladiatorum paria duo uel tria dimicantia conſpiciant, tum ſcilicet eos aduocantes, cum ebrii ſunt, coenaeque ferculis exſatiati, ſi quis iugulatur, plaudentes, et eius caede laeti:* quae uerba, de re alioquin per ſe ſatis nota, uel propterea afferenda putauimus, ut pateat, de quali monomachia intelligenda ſint, quae paucis interiectis Athenaeus ex Hermippi lib. I. de legislatoribus addit: *Mantinaeos fuiſſe τῶν μονομαχούντων εὑρετάς.* Scilicet de arte gladiatoria hoc dici, manifeſtum eſt, ut recte animaduertit Iuſtus Lipſius Saturnal. lib. I. cap. VIII. Perperam igitur nonnulli id de origine duellorum accipiunt, dum haec a certaminibus gladiatorum non ſatis caute diſtinguunt. Vide Alciatum de Certam. Sing. cap. II. Omnes, qui in arenam illam deſcenderunt, iam olim Quiritium iure ex Praetoris edicto infamia notati, et deinceps Conſtantini aliorumque principum Chriſtianorum legibus plane e republ eiecti ſunt. Lex Conſtantini, Euſebio in uita Conſtantini lib. IV. cap. XXV. et Sozomeno Hiſt. Eccleſ. lib. I. cap. VIII. memorata, extat in Codicis Iuſtinianaei lib. XI. T. XLIII. Taceo Graecorum ludos et exercitationes gymnicas, quas non ad lites decernendas, ſed ad comparandam agilitatem corporis, uel ad oſtentandas uires fuiſſe inſtitutas, nemo ignorat. Sed hoc loco de iis tantum duellis quaeritur, quibus homines liberi, ingenui, nobiles, unius reipublicae ciues, in pace,

con-

Digitized by Google

controuerſias priuatas, legum et iudiciorum auctoritate terminandas, dirimunt, aut innocentiam ſuam defendunt.

VIII.

Antiquiſſima duellorum ueſtigia

Veſtigia huiuſmodi duellorum, iam Imperatoris Octauiani Auguſti tempore receptorum, occurrunt apud Velleium Paterculum lib. II. cap. 118. ubi Germani Quintilio Varo ficte gratias agunt, quod lites ſuas Romana iuſtitia finiret, et ſolita armis diſcerni, iure terminaret. Geſta haec ſunt A. Chriſti IX, quo Quintilius Varus Germaniae praefuit, et cladi Varianae nomen dedit. Legatur Dio Caſſius lib. LVI. Eodem tempore floruit Nicol. Damaſcenus, ex cuius hiſtoria Stobaeus, ſerm. XII. de antiquis Vmbriae incolis, haec inter alia refert: ὀμβρικὸι ὅταν πρὸς ἀλλήλȣς ἔχωσιν ἀμφισβήτησιν, καθοπλισθέντες, ὡς ἐν πολέμῳ μάχονται, καὶ δοκȣ͂σιν δικαιότερα λέγειν οἱ τȣ̀ς ἐναντίȣς ἀποσφάξαντες.. *Vmbri, cum controuerſias inter ſe habent, pugnant armati, ſicut in bello, et qui ſuos aduerſarios profligant, iuſtiorem cauſam habere uidentur.* Vmbros hos Henr. Bangertus, in notis ad Chronicon Slauorum lib. II. cap. 24. et Ioach. Ioann. Maderus Diſſert. de Duello p 6. Germanis opponunt, adeoque duella illis prius, quam his, uſitata fuiſſe, putant. Sed non attendiſſe uidentur, Vmbriae incolas antiquitus fuiſſe Celtas, ſiue Gallos, quorum nomine eos etiam, qui paulo ante Iulii Caeſaris tempora Germani dicti ſunt, comprehenſos fuiſſe, probant Chriſtoph. Cellarius, in Notitia orbis antiqui Tom. I. p. 164. et Henr. Cocceius, in Prudentia Iuris publici p. 6. 7. Etenim Gallos uſque ad Aeſim fluuium, qui terminus Vmbriae meridionalis erat, habitaſſe, teſtantur Liuius, lib. V. cap. 35. et Polybius, lib. II. cap. 13. ubi illos appellat τȣ̀ς κατὰ τὴν Ιταλίαν κελτȣ̀ς, quin Solinus, cap. IX. de Italia, diſerte *Vmbros Gallorum ueterum propaginem eſſe*, ex M. Antonii aſſeueratione, tradit, cumque nihil ſimile in Romanorum moribus et inſtitutis reperiamus, non uideo, cur, duella illa Vmbrorum, a Celtica gente in Italiam illata fuiſſe, dubitemus. Quam ſententiam confirmare etiam uidentur certamina illa ſingularia, ad quae Romanos, ab nullo alio hoſte ſaepius, quam Gallis, prouocatos fuiſſe, legimus, apud Liuium lib. VII. cap. IX. et XXVI. ſcilicet,

cet, qua conſuetudine in priuatis controuerſiis dirimendis utebantur, eam in bellis quoque prodiderunt.

IX.

Duellorum Origo, Cum uero Galli, iam ducentis ante captam Romam annis, Alpibus ſuperatis, in Italiam uenerint, ut Liuius lib. V. cap. 33. oſtendit, ſatis probabiliter affirmari poteſt, ſexcentis fere ante Chriſtum natum annis eum morem in gentibus Celticis uiguiſſe. Sed certiora definire, et ad origines rerum, quae inter antiquitatis, nullis literarum monumentis illuſtratae, nebulas ſe condunt, altius aſcendere nobis non licet. Si tamen ratiocinationi aliquid loci concedatur, non male forſan huc accommomodaueris, quod Cicero lib. I. de arte Rhetorica ſcriptum reliquit: *Fuit quoddam tempus, cum in agris homines paſſim, beſtiarum more uagabantur, et ſibi uictu, ferino uitam propagabant, nec ratione animi quicquam, ſed pleraque uiribus corporis adminiſtrabant. Non diuinae religionis, non humani officii ratio colebatur: non ius aequabile quiſquam, quid utilitatis haberet, acceperat. Ita propter errorem atque inſcitiam, coeca ac temeraria dominatrix, animi cupiditas, ad ſe explendam, uiribus corporis abutebatur, peſſimis ſatellitibus.* Scilicet morem hunc barbarum, quo tantum quiſque iure, quantum uiribus ualebat, ueteres Celtae, poſtea etiam, quam in communem aliquam ciuitatem coiuerant, non penitus deſeruiſſe uidentur, maxime in iis controuerſiis, quibus componendis leges illorum, adhuc rudes et imperfectae, non ſufficiebant. Pertinet huc, quod Poſidonius apud Athenaeum lib. IV. cap. XIII. de iis memorat: *Celtae nonnunquam ſuper coenam gladiatorio certamine congrediuntur: priſcis quoque temporibus mos apud illos fuit, ut appoſitis pecudum artubus, femur ſumeret ſtrenuiſſimus, et, ſi quis alius id ſibi uindicaret, ad alterutrius interitum uſque gladiis pugnarent.* Vetus illa barbaries progreſſu temporis, in ſpeciem religionis uerſa eſt: cum homines etiam Chriſtiani, aut præſens Dei auxilium, parti meliori, extra ordinem ab ipſo conſtitutum, promitterent, aut ſatius certe exiſtimarent, in cauſis dubiis litigantes armorum fortunam experiri, quam periurio Deum offendere. Haec enim ratio redditur legis Longobardicæ de Monomachia, Caroli M. auctoritate renouatae:

Longe

Google

Longe melius eſſe, ut qui crimen ingereret, et qui ſe defenderet, in campo fuſtibus contenderent, quam peruiurium patrarent in abſconſo, Legg. Longob. L. II. Tit. LV. Leg. 23. Denique, cum vanitas moris huius, aeque ac legis ipſius iniquitas, nemini non aperta eſſet, in locum ſuperſtitionis ſucceſſit ambitio, ſive perſuaſio, honoris et exiſtimationis in eo poſitae, ut nulla cuiquam offenſa, quod olim ſapientis habebatur, ignoſceretur, nedum ad iudicem deferretur, ſed ferro et armis uindicaretur. Hinc orta ſunt duella, pro fama et exiſtimatione, (*um Ehre und Glimpff*) ut in antiquis duellorum formulis appellantur, ap. Munſterum, Cosmograph. L. V. p. 990. Atque iſta perſuaſio multo efficacius, quam omnis barbaries et ſuperſtitio duella commendauit. Nam ſuperſtitio legibus fere continebatur, quae multis ſaepe uolentibus, petentibusque, remittebantur. Leg. priuilegia, Francofurtenſi, Nurnbergenſi, Rotenburgenſi, aliisque ciuitatibus impertita, ap. Dattum Vol. Rer. Germ. p. 4. Vana autem opinio, qua recentiorum duellorum conſuetudo nititur, adeo animos hominum occupauit, ut ne contrariis quidem legibus, ſeueriſſimisque principum edictis, coerceri poſſit: licet plerique ad illa, non tam ſua ſponte, aut uindictae cupiditate, quam multitudinis iudicio incitentur.

X.

Si non ipſo Celtarum nomine olim comprehenſi, illis ſaltem finitimi fuerunt, Cimbri Dani, quos Olaus Wormius, nomen ipſum a duellis accepiſſe, exiſtimat. Cum enim Romani fortiſſimum quemque gladiatorem, a Danis Campionem (*Kämper*,) uocari, animaduerterent, eos, uocabulum hoc, ſua lingua *Cimber* pronuntiaſſe, exiſtimat. Leg Lib. V. Monum. Daniae cap. IX. Certe non ſine cauſa Paulus Hachenbergius, immanem ac truculentam de monomachia legem, a Borealibus gentibus ortam, putat, Germ. med. Diſſert. III. § 18. Nam, ſi Saxoni Grammatico fides eſt, Frotho, Danorum Rex, Imperatoris Octauiani Auguſti temporibus ſuppar, quod conſuetudinis erat, etiam lege ſanxit, *ut de qualibet controuerſia ferro decerneretur, ſpecioſius uiribus, quam uerbis confligendum ratus. Quod ſi alter dimicantium, relato pede, praenota-*

Vſus apud Danos aliosque populos ſeptentrionales

d by Google

ti orbis gyrum excederet, perinde ac uictus, cauſae detrimentum reciperet. Hiſt. Dan. lib. V. Memorat ibidem exemplum controuerſiæ, ſecundum hanc legem diiudicatae. Cum enim Hoginus quidam, Hithinum ſtupri, filiæ ſuae, ante ſponſalia ſacra, illati, accuſaſſet, indeque ſimultas inter utrumque orta eſſet, *Frotho miſſis, qui ſimul eos accerſerent, ſcrupuloſius cauſam inquirit: qua cognita, iuxta legis a ſe latae formulam pronunciauit. Videns autem, ne ſic quidem eos in gratiam reduci poſſe, patre filiam pertinatius repoſcente, litem ferro decidendam edixit: id quippe ſolum, dirimendae controuerſiae remedium uidebatur.* Orbis ille gyrus, quo lex Frothonis duellatores includit, alias etiam Saxoni Grammatico memoratur, ut lib. III. ubi Vbbonis cum Slauo quodam certamen deſcribens, *Nec mora,* inquit, *circuatur campus, milite circus ſtipatur, concurrunt pugiles, fit fragor, fremit ſpectatrix turba, uotorum ſuffragiis diſcors, ex candeſcunt igitur athletae animis, et mutuis uulneribus ruentes, eundem lucis et pugnae exitum ſortiuntur.* Similiter lib. IV. *Froierus cum Frothone II.* concongreſſurus, *bina quadratae formae ſpatio, cubitalibus ſignata lateribus, humi denotaſſe* dicitur: *quibus deſcriptis, aſſignatam uterque partem complectitur,* reliqua. In ratione et forma horum duellorum illud ſingulare erat, quod non promiſcuos, ſed alternos, certiſque interuallis diſtinctos ictus inferrent; ſolerentque adeo

alternare enſes, partirique ictibus ictus,

ut idem Saxo lib. II. loquitur, et addit: *Non enim antiquitus in edendis agonibus, crebrae ictuum uiciſſitudines petebantur, ſed erat cum interuallo temporis etiam feriendi diſtincta ſucceſſio, rarisque, ſed atrocibus plagis certamina gerebantur, ut gloria potius percuſſionum magnitudini, quam numero deferretur.* Neque tantum intra Cherſoneſum Cimbricam ſe continuit haec monomachia, ſed Norwegis quoque, imo extremis Islandiae incolis uſitata fuit. Nam circa A. 930. Egillus Islandus, Gomondum, Norwegiae magnatem, in ius uocabat: cumque uideret, ſe, propter animum iudicis Blodoxii, Norwegiae Regia, a ſe auerſum, cauſa cadere, *ad conſuetudinem lege receptam confugit, et aduerſarium ad monomachiam prouocauit.* Arngrimus Ionas lib. II. Rer. Islandicar. p. 130. et in alio judicio, cum

Atlas

Digitized by Google

Atlas, Bergomondi frater, periurio ipſum uincere ſtuderet, Egillus *cum illo congreſſus, non ipſum tantum, ſed et, quae lex Islandicae monomachiæ erat, taurum in circum inductum manibus ſuis interfecit*, Idem p. 133. Quin et Scythicis gentibus, Orienti propinquioribus, illam communem fuiſſe, uel Ruſſorum exemplo conſtat, apud quos purgationem criminum per duella ueteri more concedi, poſtquam reus per *Nedelbiſo*, hoc eſt, apparitorem in iudicium uocatus, et teſtes contra eum producti ſunt, praeter Sigismundum Lib. B. ab Herberſtein in Comment. Rer. Moſcouit. refert Bodinus de Republ. lib. IV. c. ult. Quod enim morem hunc, non ſeculo IX, uel X. cum religione Chriſtiana a Graecis acceperint, ſed ex ueteri Paganiſmo ſeruarint, uel ex iis, quae §. 4. attulimus, intelligi poteſt. Ritus et arma, quibus duella apud Danos, aliosque populos ſeptentrionales olim, commiſſa ſunt, ex eodem Saxone, Arngrimo Iona, Chriſt. Cilicio, aliisque rerum ſeptentrionalium ſcriptoribus, laudatus Wormius l. d. pluribus exponit.

XI.

Progreſſus ex Germania in prouincias Romanas, nominatim in Noricum et Vindeliciam.

Latius inde ſerpens mos barbarus non modo per totam Germaniam graſſatus eſt, ſed omnes etiam Romani Imperii prouincias a Germanis occupatas peruaſit. Ac ipſorum quidem *Germanorum duella*, qnoniam apud hos, armis praecipue aſuetos, propriam quaſi ſedem habuerunt, ſingulari propediem diſſertatione deſcribam: hoc loco tantum, quomodo in alia Europae regna, Romani quondam Imperii partes, illata, et ad poſteros transmiſſa fuerint, breuiter indicabo. Primae ac proximae Germanis uerſus meridiem prouinciae Romanae erant Vindelicia et Noricum, quas iam ſeculo V. a Baioariis, gente Germana, ſubactas fuiſſe, alibi demonſtratum eſt. Leg. Praeſidis Diſſ. de Baioaria Francis ſubiecta §. V. et VI. Horum uero Baioariorum lex, quam ineunte ſeculo VI. *Theodoricus, Francorum rex, ſecundum conſuetudinem gentis, conſcribere iuſſit*, ut eſt in Prologo eius, tantum non omnes cauſas dubias duello decernere iubet. Ita tit. XI. lege quinta praecipitur: *Quotiens de commarchanis contentio naſcitur, — ſi alia probatio nuſquam inueniri dignoſcitur, tunc ſpondeant inuicem Wehadinc, quod dicimus, et cui Deus dederit fortiam et uictoriam, ad ipſius partem deſignata pars, ut quae-*

 ritur

ritur, pertineat. Et tit. XVI. lege 2: *Si aliquis teſtem mendacem habere uoluerit, poteſt illum repellere cum pugna duorum etc.* Similia complura occurrunt tit. VIII leg. 2. et 3. tit. IX. leg. 4. tit. XII. leg. 8. et 9. tit. XVI. lege 6. etc.

XII.

in Italiam ipſam. Quanto gens quaeque Germanorum ferocior, tanto fere moris illius tenacior fuit. Declarat hoc exemplum Longobardorum, quos Velleius lib. II. cap. 160. *feritate Germanica ferociores* uocat. Hi in Italiam ipſam, ubi monomachia, poſt ueteres Gallos ſiue Celtas, Romanorum imperio mitigatos, ſenſim exoleuerat, eam ſec. VI. reduxerunt, et tam pertinaciter retinuerunt, ut Rotharis rex eam, cum maxime uellet, abrogare non poſſet. Nam legis Longob. lib. I. tit. X. concedit *poteſtatem quaerendi per pugnam, ſicut antiqua fert conſuetudo*, et mox addit: *incerti ſumus de iudicio Dei, et multos audiuimus, per pugnam ſine iuſta cauſa ſuam perdere, ſed propter conſuetudinem gentis noſtrae Longobardorum, legem impiam uetare non poſſumus.* Illuſtre exemplum innocentiae, ſecundum hanc legem aſſertae, praebet ipſa regina Longobardorum Gundeberga, quae *cum A. 628. de crimine adulterii apud uirum accuſata fuiſſet, proprius eius ſeruus, Carellus nomine, a rege expetiit, ut cum eo, qui reginae crimen ingeſſerat, pro caſtitate dominae ſuae, monomachia dimicaret: hic dum cum criminatore illo ſingulare certamen iniiſſet, eum, cuncto populo adſtante, ſuperauit, regina poſt hoc factum ad dignitatem priſtinam rediit.* Paul. Warnefridus de Geſtis Longobardor. lib. IV. cap. 49. Conf. Aimoinus de geſtis Francorum lib. IV. cap. 10.

XIII.

in Galliam Galliam ſec. V. praeter alias Germaniae gentes, etiam Burgundiones inuaſerunt, qui, iam A. Chriſti 406. Arcadio V. et Probo Coſſ. ſi quidem Proſpero et Caſſiodoro fides eſt, Rhenum trangreſſi, paulo poſt in terris Rheno uicinis conſederunt, finibusque ſuis latius extenſis, Burgundiae nomen dederunt. Leg. Schurzfleiſchii Hiſtor. Vet. Regni populique Burgundionum et Io. Nicol. Hertii Notitia ueteris Germaniae populorum P. III. cap. VI. Sub finem ſeculi, rerum inter eos potitus eſt Gundebaldus, Sigeberto Gemblacenſi ad A. 484. memoratus, de quo Gregori-

Digitized by Google

rius Turonenſ. lib. II. c. 33. *Regionem,* inquit, *omnem, quae nunc Burgundia dicitur, in ſuo dominio reſtaurauit, Burgundionibus leges mitiores conſtituit.* In his legibus famoſa maxime eſt, quae ab nomine eius *Gundebada* appellatur apud Agobardum, et in Capitul. Caroli M. Extat illa in legibus Burgundionum a Lindenbrogio editis tit. XLV. et ita ſe habet: *ſi pars, cui oblatum fuerit iusiurandum, noluerit ſacramenta ſuſcipere, ſed aduerſarium ſuum ueritatis fiducia, armis dixerit poſſe conuinci, et pars diuerſa non ceſſerit, pugnandi licentia non negetur.* Rationem legis hanc reddit: *multos in populo noſtro, et peruicatione cauſantium, et cupiditatis inſtinctu ita cognoſcimus deprauari, ut de rebus incertis ſacramenta plerumque offerre non dubitent, et de cognitis iugiter periurare. Cuius ſceleris conſuetudinem ſubmouentes, praeſenti lege decernimus, ut quotiens inter homines noſtros cauſa ſurrexerit, et is, qui pulſatus fuerit, non deberi a ſe, quod requiritur, aut non factum, quod obiicitur, ſacramentorum obligatione negauerit, hac ratione litigio eorum finem oportebit imponi.* Conf. Cointe Tom. I. Annal. Francor. p. 429. Quin eo temeritatis proceſſit Gundobaldus, ut religionis quoque ueritatem uel falſitatem, duello explorari, uoluerit, teſte Agobardo, qui diſputationem ſuam de ſententiis diuinis his uerbis concludit: *Haec pie humiliterque conſiderantibus apparet, non poſſe caedibus, ferro, uel aqua occultas et latentes res inueniri. Nam ſi poſſent, ubi eſſent occulta Dei iudicia, deberet ergo inter Catholicos et haereticos tali examine ueritas indagari, ſicut quidam ſuperbus ac ſtultus haereticus Gundebadus, Burgundionum Rex, tentabat expetere a B. Auito, egregio et orthodoxo praedicatore, qui eius ueſaniam ſapientiſſime laudabiliterque repreſſit atque redarguit.* Quam inique etiam in aliis cauſis, haec duella more Burgundionum impoſita, et exercita fuerint, docent exempla a Vulſonio in Theatro honoris et nobilitatis Tom. II. p. 292. ſeqq. collecta, et in Maderi Differt. de Duellis repetita, ex quibus uel hoc unum repetere iuuat: *Gontranus rex Burgundiae, in ſaltibus Vogeſi montis uenationi indulgens, ueſtigia bubali occiſi uidit, et ſaltuum praefecto iratus, torturae eum ſubiecit, ut ab eo extorqueret, quinam huius ſceleris eſſet auctor. Ille Chaudunum e cubiculariis regiis nominauit, qui captus, et Cataulunum adductus, cum in tortura conſtanter negaret factum, uterque duellum poſcit, quod etiam Rex conceſſit, Chauduno, membris ex tortura laxatis,*

nepotem ſubſtituente. Primo concurſu, praefectus ſatuum haſta haud leuiter uulneratus fuit, cui in terram proiecto, cum incumberet alter, Deo ita diſponente, dum cum illo luctatur, proprium gladium in imo uentre excepit, et cum aduerſario uno pene momento extinctus eſt. Chaudunus fuga ſibi conſulere cupiens, cum in aſylum, S. Marcelli Eccleſiam ſe recipere uellet, Regis iuſſu comprehenſus, et patibulo affixus fuit. Nihilominus legem illam Gundobadam, perdiu, etiam poſtea, quam Burgundiones Francorum ditioni acceſſerunt, ualuiſſe, et apud ipſos Francos occidentales, Burgundionum uictores, magnam auctoritatem habuiſſe, ex eodem hoc Agobardi libello intelligitur, dum morem iudiciorum ſuae aetatis ita deſcribit: *Mitte unum ex tuis, qui congrediatur mecum ſingulari certamine, ut probet, me reum tibi eſſe, ſi occiderit; aut certe iube ferrum uel aquas caleſieri, quas manibus illaeſus attrectem, aut conſtitue cruces, ad quas immobilis perſeuerem. — Vani homines nominant iſta iudicium Dei. Vnde probari poteſt iudicium Dei, quod Deus nunquam praecepit?* Addatur ſingularis liber Agobardi adu. legem Gundobaldi ſcriptus. Scilicet ipſi Francorum Reges illam deinceps confirmarunt, ac nominatim Agobardi aetate, Ludouicus Pius, cuius conſtitutio de probationibus et prouocationibus ad iudicium Dei, extat apud Goldaſtum Tom. III. Conſtit. Imper. fol. 254. Hinc Bernhardus A. 831. *Ludouicum Imperatorem adiens, modum ſe purgandi ab eo quaeſiuiſſe dicitur, more Francis ſolito, ſcilicet crimen obiicienti ſe obiicere uolens, armisque impacta diluere*, in uita Ludouici Pii cap. XIII. Ab hoc tempore, duella apud Francos occidentales conſtanter retenta, et publica ſenatus Pariſienſis, ipſorumque regum auctoritate conceſſa, imo etiam iniuncta ſunt. Leges et ritus illorum praeter ceteros deſcripſerunt Beliſarius lib. de Singul. Certam. Claudius la Sale lib. de Duello et Petr. Gregor. Tholoſanus in Syntagm. Iuris Vniuerſ. lib. XLVIII. cap. 16. Seculo XIV. Philippus Pulcher etiam ceremonias et religionis ſpeciem addidit, edixitque, ut duellum ſuſcepturi, *egredientes domo armati, ſingulis fere paſſibus, ſe ſalutifero ſigno crucis praemunirent, et uexilla deferrent, uel praeferri iuberent, quibus diuorum, aut crucifixi eſſent appictae imagines.* Leg. praeter Tholoſ. l. c. Carolus du Freſne in Gloſſar. latin. uoc. Duell. ubi ſimul plurima ſingularium huiusmodi

certaminum in Gallia commiſſorum exempla collegit. Iis hoc loco uel unicum addere iuuat, ridiculae prorſus uanitatis, quod indolem illorum temporum, quibus hunc morem acceptum referimus, praeter cetera manifeſtat. Carolo V. Galliae regi, duo erant aulici, alter Macarius, eques, alter Albericus de Montdidier. Hunc impenſiori fauore proſequebatur rex: unde alter inuidia ductus, cum, unico cane uenatico comitatum, ex inſidiis, ſi narrationi fides eſt, occidit, eoque in loco terrae mandauit. Canis uero ex eo loco nunquam, niſi fame coactus, receſſit, donec tandem ſuſpicione hac de re, praeſertim Alberico nusquam comparente, orta, quidam amicorum, cane indice, corpus ipſius inuentum, digniori ſepultura honorarunt. Canis uero ab eo tempore, quoties homicidam conſpiceret, rabidis latratibus in illum irruebat, quae res tandem Macarium caedis ſuſpectum reddidit, ut, ex ipſius regis ſententia, fuſte armatus, ſingulari duello cum cane, hanc controuerſiam decidere iuberetur. Canis autem Macarium, iugulo comprehenſum, ſcelus fateri coegit, qui et, tanquam homicida, iudicum ſententia punitus eſt. Hiſtoria haec Montargii, in pariete, iuſſu regis depicta eſt, eamque picturam cum tota hiſtoria exhibet Vulſonius in lib. cui titulus, Theatre d' honneur et de Cheualerie p. 300. *Duel- cum*

XIV.

Abolitionem duellorum in Gallia inter primos ſeculo XIII. tentauit Ludouicus IX. Sanctus, eaque in terris ſuis interdixit, ut patet ex ſtatutorum eius lib. I. cap. II. Sed, cum illo tempore multi proceres, etiam ex equeſtri ordine, iurisdictionem regiam nondum plene agnoſcerent, et mos inueteratus eccleſiaſticis etiam iudicibus probaretur, deſtinata perficere non potuit, ut pluribus oſtendit auctor de l' Hiſtoire de S. Louis. Conf. Acta erud. A. 1688. p. 454. Idem poſtea, complures Franciae reges decreuerunt, ac praecipue Henricus II. occaſione duelli, quo ſub auſpicium regni ſui A. 1547. contra uoluntatem et expectationem ſuam, Vitum Cabotium Iarnacium, ſuccumbere uiderat. Eo enim ex caſu rex tantum cepit dolorem, ut ſe nunquam amplius in duella conſenſurum, ſanctiſſimo iureiurando confirmaret, teſte Thuano ad *Duelli- rum Galli. abrog- tio.*

h. a. Sed quod multi fruſtra tentarunt, id tandem aliquo modo perfecit Ludouicus XIV, qui iam A. 1655. aetatis ſuae 17. ſeueriſſimum aduerſus duella edictum promulgauit, idque grauioribus poenis ſanxit A. 1679. ut pluribus referunt Rogerius Rabutin, Comes de Buſſy, in uita Ludouici XIV. p. 7. edit. Germ. aliique rerum ab eo geſtarum ſcriptores. Memoriam legis huius, magno optimorum quorumque conſenſu approbatae, conſeruat ſuperbiſſimum monumentum, uictoriae Ludouici M. Pariſiis A. 1685. dicatum, cum hac epigraphe:

Les Duels abolis.

Impia, quae licuit regum componere nulli,
Praelia, uoce tua, Lodoix, compoſta quieſcunt.

* *

Pour bannir les duels de l' empire des Lis,
En uain nos plus grands Rois ont tout mis en uſage
Le Ciel au ſeul Louis reſeruoit cet ouurage,
Il parle, et pour iamais on les uoit abolis.

XV.

Progreſſus in Hiſpaniam. In Hiſpaniam duella, iam ſeculo V. a Germanis illata eſſe, ex controuerſia Sueuorum et Vandalorum, de terris et imperio huius prouinciae, iudicare licet. Eam enim, duorum puerorum, utrinque delectorum, duello terminandam commiſerunt, cumque Sueuus ſuperior diſceſſiſſet, Vandali imperium Thraſimundo, Sueuorum regi, ex pacto reliquerunt. Leg. Gregor. Turonenſ. Hiſt. Franc. lib. II. cap. II. Eadem deinde, ſub Chriſtianis Gothorum regibus uſitata fuiſſe, oſtendit Rodericus Toletanus lib. XVII. de Rep. Hiſpan. cap. 26. Sec. XIV, coram Alfonſo XI, rege Caſtellae, duo nobiles, qui ſe mutuo perduellionis accuſarant, tribus continuis diebus, ab ortu Solis, usque ad occaſum, pugnarunt, et multis ſe inuicem uulneribus affecerunt, dubia prorſus, nec in unum, nec in alterum inclinante uictoria. Vtrumque rex innocentem pronuntiauit, et aequali uirtute praeditos, amicos eſſe uoluit: quod fuſe narrant Pet. Mexia Sil. Var. Lect. P. II. c. X. et Mart. Delrio Diſquiſ. Mag. lib. IV. cap. IV. p. 608. Illuſtre exemplum duelli, ſecundum leges et antiquum morem regni Caſtellani, concedente et inſpectante Imperatore Caro-

Digitized by Google

lo V. rege Hiſpaniae, Valledoleti inter duos nobiles adoleſcentes A. 1522., ſolenni ritu commiſſi, copioſe deſcribit Pontus Heuterus, ex eoque repetit Phil. Camerarius Cent. II. Medit. hiſtor. cap. XXI.

XVI.

Qua ratione Anglorum ſiue Saxonum gens, ſec. V. a Vortigerno, Britonum rege, inuitata, in inſulam illam, cuius praecipuae parti nomen dedit, traiecerit, et regnum ibi conſtituerit, oſtendunt Beda Hiſt. Eccleſ. Gent. Anglor. lib. V. cap. 15. Paul. Diaconus lib. XIV. Eutropii Hiſtor. addito ſub finem, et Saxo Grammaticus lib. I. ex nouis ſcriptoribus William Temple, in the Introduction to the Hiſtory of England p. 47. ſeqq. De illorum uero duellis leges Saxonum et Angliorum paſſim loquuntur: quae in Angliam illata, Normanni ſec. XII. rerum potiti, non ſuſtulerunt, ſed potius confirmarunt. Exemplum duelli, ſub Wilhelmo II. Wilhelmi Conqueſtoris filio et ſucceſſore, A. 1096. commiſſi, ex antiqua membrana Henr. Spelmannus, ex eoque Vulſonius l. d. Tom. II. p. 263. his uerbis profert: *Wilhelmus, Comes Augiae, uulgo dictus d' Eu, coniurationem inierat cum Roberto Mulbrer, Comite Northumbriae, de eiiciendo tollendoque rege, Wilhelmo iuniore, filioque amitae ſuae, Stephano Albermarlio, in ſolio collocando. Sed rege, una cum omnibus Angliae Baronibus celebre agente concilium, Gaufridus Baynart, proditionis poſtulat comitem Wilhelmum, prouocatque ad duellum: in quo ſegnius ſe defendens comes, a Gaufrido uictus eſt, iuſſuque regis et concilii, oculi illi eruti, et teſticuli abſciſſi ſunt.* Henricus I, Wilhelmi II frater, tertius Anglorum rex Normannicus, exorbitantem duellorum conſuetudinem ac frequentiam nonnihil reſtrinxit, et, cum promiſcue pro quibuscunque, etiam leuioris momenti, controuerſiis, ſuſciperentur, in legibus ſuis cap. LIX. decreuit: *ut non fieret bellum ſine capitali ad minus decem ſolidorum, niſi de furto, uel huiusmodi nequitia, compellatio eſſet, uel de pace regis infracta, uel in illis, in quibus eſt capitale mortis.* Ius illud Normannicum cum iure Feudali comparat Richardus Zouch, in deſcriptione iuris et iudicii temporalis, ſecundum conſuetudines Feudales et Normannicas A. 1635. Oxonii primum edita, et A. 1705 Londini recuſa; in cuius P. III. Sect. V. de cognitione per duellum: *ſecundus,* inquit, *modus experiundi, ſecundum ius Feudale, erat duellum, in quo, qui* in Britanniam.

 ſuccu-

Digitized by Google

ſuccubuit, idem etiam cauſa cadebat. Feud. lib. II. Tit. XXVII. In Conſuetudinario Normanniae cap. 68. et 127. dicitur Vadiatio duelli, in quo ſic proceditur: pugiles in die duelli, ante horam meridiei in curia comparere debent in tunicis, cum ſcutis, et baculis cornutis armati, capillos ſuper aures rotunde adaequatos habentes: cumque uterque eorum ſe Iuſtitiario obtulerit, duelli uerba per Iuſtitiarium debent recitari, et deinde ad campum ducendi ſunt pugnaturi: et quatuor milites eligendi ſunt, qui campum cuſtodiant, omnesque alii ſedere debent in corona, et bannum Ducis proclamatur, ne quis ſub poena uitae et membrorum, uerbo uel facto, alicui pugilum auxilio uel impedimento ſit. Tum pugiles, praeſtitis inuicem iuramentis de ueritate cauſae, et quod ſorcerias non adhibeant, et peracta competenter oratione, pugnam ineunt, et, ſi defenſor ſe usque ad ſtellas de nocte in coelo apparentes defendere poterit, uictoriam conſequitur. Plura et lectu digna de ueteri hac Anglorum conſuetudine tradit Nicol. Vptonus, lib. II. de Studio militari cap. III. Neque recentioribus temporibus eam Anglis improbatam fuiſſe, uel ex iis colligas, quae leguntur in Io. Seldeni Sermon. conuiualibus (Table Talk) Londini 1689. ed. p. 8. *Duellum certis caſibus, auctoritate regum, in Anglia, non alibi, permittitur. Eccleſia olim duellis licentiam indulgebat, ut apparet ex ueteribus liturgiis, preces complexis a duellum ituris in aede ſacra dicendas. Bellum ſane licitum fatearis, neceſſe eſt, quia Deus unicus iudex eſt inter reges, nulli humanae poteſtati ſubiectos. Iam uero ponamus, litem intercedere binis ſubditis, quae teſtimonio humano non poſſit dirimi, cur non, permiſſu principis, Deo illa decidenda tradatur?* Recens adhuc memoria eſt funeſti duelli, in quo, die 15. Nouembr. A. 1712. Londini, duo illuſtres in magna Britannia proceres diuerſarum partium, Iacobus, Dux Hamilton, et Carolus, Comes Mohun, mutuis ictibus conciderunt. Eo peracto, Macartney, arbiter pugnae a poſteriori electus, in ius uocatus, fuga ſe eripuit, non, quod duelli particeps fuerit, ſed, quia caedis in Hamiltonum, uictorem, commiſſae, a rigidiori Anglorum factione accuſabatur. Superiori autem anno, Georgii, regis ſententia abſolutus, in patriam rediit. Acta eius copioſe deſcribuntur, et ſcripta in utramque partem edita exhibentur in Annalibus Annae, reginae, Tom. XI. edit. Anglic. p. 297. ſeqq. Add. Vita Hamiltoni, in the Peerage of England Vol. I. p. 177.

Digitized by Google